



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ex Recogniti|one Des. Eras-||mi Roterodami.|**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Dionis Cassii Nicaei Nerva Cocceius. Georgio Mervla Alexandrino  
Interprete.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**



DIONIS CASSII NICAEI

## NERVA COCCEIVS

GEORGIO MERVLA ALEXANDRINO INTERPRETE.



OST Domitianus cædē Romæ Cocceius Nerva im-  
perator designatur. Flagrabant adhuc odio in Do-  
mitianum ciues, quare statuæ om̄es tum aureæ, tum  
argenteæ in illius honorem constituta, subito confla-  
tæ fuerunt. Arcus præterea in eiusdem unius titulum  
& nomē sustructi, euertūtur. Cæterū Nerva om̄neis  
qui impietatis in deos rei fuerant, eos absolui uoluit.  
Exules in patriā reduxit. Serui atq; libertorum pluri-  
mi, dominis atq; patronis insidias fecerant. Hos ad  
unum occidi imperauit. Et ne serui de cætero dominos criminaretur, edicto ue-  
tit. Neque liceret aut impietatis, aut Iudaicæ sectæ quempiam dehinc insimula-  
ri. Multorum tamen nomina falso delata. Inter quos Suras philosophus con-  
demnatus fuit. Deinde non leui de causa aut fortuito tumultus oritur, sed quia  
ex libidine quorundam multi iniuste accusarētur. Quare Fronto consul propa-  
lam dixisse fertur. Malū esse eū imperare sub quo nemini quippiā concessū sit,  
sed longe peius sub eo uiuere sub quo maxime liceat. Quæ uerba posteaq; Ner-  
ua nuntiata fuerunt, ne talia deinceps fierent, magnopere curauit. Erat is per se-  
nectutem paulo imbecillior, graui insuper morbo affectus, cibum ferè euome-  
bat: sed ne sibi statuæ ex auro siue argento constituerentur, omnino recusauit.  
Per multos Domitianus dum imperaret bonis atq; fortunis iniuste spoliaue-  
rat: quibus per uim ablata, restitui duntaxat ea uoluit, quæ in aula reperta fu-  
sent. Ad sustentandam ciuium uitam, decies & quinquagies centena milia num-  
mū erogauit: & quoddam senatorij ordinis delegit, qui agros emerent, eosq;  
egenis diuiderent. Pecuniæ inops factus, uestes primum & uasa aurea atq; ar-  
gentea, pratiostam præterea supellectilem, siue sua propria, siue publica & re-  
gia foret, auctioni subiecit. Agros, item ingenteis domos, & om̄ia demum, præ-  
ter admodum necessaria, uendidit. Nihilo tamen segnior in iuuandis & extol-  
lendis amicis erat. Compluribus ingentia beneficia contulit. Sed ut impēdia cō-  
traheret, sacrificia non pauca, equorum cursus atq; certamina, nec minus specta-

Nerua impe-  
rator.  
Domitianus  
statuæ con-  
flatæ.

Christians  
intelligit.

Iudaica se-  
cta.  
Suras philo-  
sophus.  
Frōto cōsul.  
Libere di-  
ctum.  
Nerua mo-  
destia.

Nerua libe-  
ralitas.

p cula

cula quædam sustulit. In curia illud iurauit, suo iussu neminem senatorum occi-  
sumiri. Quod sacramentum, quæmis etiam insidijs petitus esset, inuiolatum  
seruavit. Nihil unquam de suo arbitrio statuit, sed principes viros in consilium  
semper adhibebat. Leges tulit multas, cum de alijs, tum maxime ne mares ca-  
strarentur. Neue fratris filiam uxorem ducere fas esset. Ruffus uero Virginii,  
quem Romanæ legiones olim imperatorem nominauerat, minime ueritus est,  
uel in consulatu collegam assumere. In huius etiam sepulchro illud quidam in-  
scripsere.

Mares ca/  
strari uetus.  
Ruffus Vir/  
ginius.

Ruffi epita/  
phium.

Integritatis  
fiducia.

Craffus Cal/  
phurnius.

Aelianus  
Casperius.

Traianus a/  
Nerua ado/  
ptatus.

Virtute ho/  
minis nō ge/  
nus aut pa/  
tria spectari  
oportere.

HIC SITVS EST RVFFVS, PVLSO QVI VINDICE QVONDAM  
IMPERIVM ASSERVIT NON SIBI SED PATRIAE.

Tata erat illi integratatis fiducia, ut saepe iactauerit se nihil tale fecisse, quo mi-  
nus deposito imperio, securius priuatâ uitâ ageret. Coniurauerat in eum forte  
Craffus Calphurnius, Crafforum nepos. Hunc cum ceteris coniuratis dum lu-  
di ederentur assidere iuxta se uoluit. Nesciebant coniurationem patefactam es-  
se. his gladios obtulit, quos scilicet inspicerent atq; pertentarent, satis ne acuti fo-  
rent. Re autem uera significabat, non admodum sibi curæ esse, si uel tunc eo in  
loco occideretur. Praefectus erat prætorij Aelianus Casperius, quam praefectu-  
ram etiam sub Domitiano gesserat. Hic tumultuantes Prætorianos, aduersus  
Neruam concitauit: hoc sane consilio, ut per speciem ulciscendæ seditionis quos/  
dam eorum, ceu hostes Cæsaris, ad mortem posceret. Sed Nerua Casperio ta-  
lia molienti adeo restitit, ut denudato collo, iugulum confodiendum porrigeret.  
quāq; nihil proscicit. Nā hi ferè omnes quos Casperius designauerat, interfici-  
tunt. Quare cū ob senectam ætatem, amissa reuerentia, omnibus contemptui  
quodāmodo esset, in Capitoliū ascendit, atq; quod felix faustumq; s. p. q. r.  
& mihi ipsi sit præfatus, Marcum Vlpium Traianum adoptauit, Moxq; in cu-  
ria Cæsarem designat. Ad quem imperij iura atq; insignia, præterat enim tunc  
Germaniæ, hoc uersu misit.

Telis Phœbe tuis lachrymas ulciscere nōstras.

Ita Traianus adoptatus à Nerua, deinde imperator factus est. Ceterum in hoc  
bonitas Neruæ & studium in Rempub. maxime apparuit. Nulla intercedebat  
cum adoptato cognatio, imo uero propinquos & cognatos quām plurimos ha-  
bebat: publicæ tamē utilitati atque saluti, societatem sanguinis postposuit. Ne/  
que eo deterritus, quod Traianus genere Hispanus, aut ex Italia oriundus non  
esset: quodq; ante eum peregrinus & alienigena Romanum imperium non te-  
nuisset. VIRTUTEM hominis, non genus aut patriam spectari oportere exi-  
stimauit. His confessis, Nerua moritur. Imperauit anno uno, & mensibus qua-  
tuor, ac diebus nouem. Vixit autem annos quinq; & sexaginta, menses decem,  
& dies totidem.

Dionis